







PIAE LACRIMAE

QVIBVS  
ACERBISSIMVM FVNVS

VIRI

DVM VIVERET  
NOBILISSIMI PRAECLARISSIMI DOCTISSIMI

DOMINI

**F**RIDERICI  
**B**ERGERI

SCHOLAE CATHEDRALIS NVMBVRGENSIS PER  
SEXAGINTA ET OCTO QVASI ANNOS

RECTORIS LONGE MERITISSIMI  
PRAECEPTORIS SVI DESIDERATISSIMI  
IPSO EXEQVIARVM DIE

xvii KAL. OCTOBR. A. cto 1000 xxx

PROSEQVNTVR

ALVMNI EIVSDEM SCHOLAE PRIMO  
ORDINI ADSCRIPTI.

---

NVMBVRGI,  
Typis BALTHAS. BOSSEGELII, Privil. Typogr.





Ue, huc frequentes currite, currite,  
Spectate funus, nemo quod vsipiam  
Vidit locorum, nec videbit  
Tempora per spatiosa vitae.

Quis rector vnquam tam potuit diu  
Praeesse ludo, non sine maximo  
Fructu? quis annos pene centum  
Saluus et incolumis peregit?

BERGERE, summum vult proprium TIBI  
Hoc esse Numen: sic pietas TVA,  
Virtusque recte pertinacis  
Praemia larga capit laboris.

Nunc ite, molles, dicite, carcerem  
Summo vocari iure domum scholae,  
Hanc esse pilstrinam dolore,  
Multiplicique malo repletam.

Non est viretum, credite, gratius,  
Quam, quae referta est discipulis, schola:  
Hic arbores crescunt, futuris  
Commoda temporibus datúrae.

Hic hortulani munere fungitur  
Rector fidelis, qui lolium necat,  
Quod procreat passim iuuentae  
Feruor et amplificat repente.

Sed est voluptas, credite, maxima,  
Spectare fructus, quos parit indoles  
Selecta, compensatque durum  
Cum cumulo studium benigno.



Non ergo nobis vita scholastica  
Praedestinos abbreviat dies;  
Proluxiores imo reddit,  
Delicias pariendo veras.

Accedit, omnem quae nimium fugit  
Potus et vsum, sobrietas, cibi,  
Quae, sedulos propter labores,  
Debet adesse scholae magistris.

Non ergo mirum, quod fere seculum  
BERGERE, totum vita replet TVA,  
Quae sanctitatis clara imago  
Discipulis fuit & magistris.

Tandem beata morte petis scholam  
Praestantior, quam regio poli  
Complectitur, felicitatis  
Fontibus omnigenae refertam.

Diuinitatis nunc iubar adspicis  
Coram coruscans, luceque candida  
Illius effulges, minores  
Luna velut micat inter ignes.

Perfecta nobis non sapientia  
Vnquam paratur; mole sub aspera  
Dum corporis duri fatiscens  
Spiritus affiduo gemiscit.

Compagne tandem libera corporis,  
Mens nostra veram rite scientiam,  
In sedibus coeli beatis,  
Munere consequitur Iehouae.

Hinc TE beatum, VIR VENERABILIS,  
Nos aestimamus, quod tenui schola,

Quae floret in terris, relicta,  
Aethereo refides Lyceo.

Mundum relinquens, non moreris tamen,  
BERGERE, totus; gloria permanet  
Semper superstes, comprehensa  
Pectoribus sine fine gratis.

Mens nostra corpus destituet prius,  
Et mors duorum vincula distraheth,  
Quam nos, VIR AETERNVM COLENDE,  
Non meminisse TVI queamus.

Nos orphanorum more sedebimus  
Collacrimantes ad tumuli locum,  
Qui molliter corpus fouebit,  
Vsque TVOS cineres colentes,

Quid? quod parentem fama vetat mori,  
Virtus paravit quam sibi FILII,  
Qui prouidum mentis sagacis  
Dexteritate refert parentem.

Ramos in amplos arbor vt ardua,  
In pronepotes gens TVA funditur,  
Qui gloriam multis auitam  
Auctibus amplificare pergunt.

Nunc ergo moestis sit lacrimis modus:  
BERGERE, prorsus nil TIBI surripit  
Immite fatum, quam quod annis  
Perdiderat nimis senectus.

Et summa mundo mox veniet dies,  
Quae membra saluo restituet TIBI,  
Instructa coelesti vigore,  
Perdere quem senium nequibit.

† † †



78 M 496

ULB Halle 3  
001 618 148



TA-506

KONP

017







# PIAE LACRIMAE

QVIBVS  
ACERBISSIMVM FVNVS

VIRI

DVM VIVERET

NOBILISSIMI PRAECLARISSIMI DOCTISSIMI

MINI

# DERICI GERI

ALIS NVMBVURGENSIS PER  
OCTO QVASI ANNOS

NGE MERITISSIMI

VI DESIDERATISSIMI

QVIARVM DIE

FOBR. A. cto 1000 xxx

QVVNTVR

EM SCHOLAE PRIMO

ADSCRIPTI.

MBV RGI,  
SSOEGELII, Privil, Typogr.

